



## † Fr. laic. Chrysanthus Zemánek (1852–1931) (1)

*(Prov. Vindobon.)*

Huius optimi Fratris vita extraclaustralis a plurimorum Fratrum nostrorum vita quadamtenus differt. Etenim Ioannes Nep. Zemánek, in Skřivankov, Moraviae oppidulo, d. 13



Apr. 1852 natus, filius textoris et agricolae, cum adolevisset, matrimonialem statum amplecti constituit; at brevi ante nuptias, secutus exemplum S. Clementis nostri, in eadem Moravia centum annis prius nati, eremiticam vitam in patria elegit, sese associans aliquot aequalibus, qui prope Reichenau sanctuarium quoddam derelictum ad pristinam celebritatem evehere satagebant. Mox Ioannes ob suam sinceram pietatem, modestiam aliasque praeclaras dotes horum eremitarum quasi Superior habebatur. Sed cum boni ordinis perturbationes ortae essent, quibus sanandis se ineptum cognoscebat, et forte etiam ob alias causas, huic vitae eremiticae valedixit, et socii idem fecerunt.

Ioannes noster a Patribus Redemptoristis petiit inter Fratres servientes se acciperent, et voti compos factus, sacram vestem cum novo nomine Fratris Chrysanthi d. 10 Iunii 1882 accepit, vota autem perpetua d. 20 Iunii 1885 nuncupavit. Tum sacristae munere per quinquennium in novo collegio Bohemiae Filippisdorf functus est. Die 2 Iulii 1890 Vindobonam ad celebre templum B. M. V. ad Scalas vocatur ibique usque ad mortem remansit, ultra 30 annos idem sacristae officium ibidem exercens.

Et quam egregie huic muneri difficili satisfaciebat! numquam quietem mentisque recollectionem amittens, neque in magnis sollemnitatibus aut in plurimorum praelatorum aliorumque sacerdotum celebrantium concursu,

(1) Cf. *St. Klemens-Blätter* III (1931), n. 11, p. 352-355.

erga semper omnes affabilis, modestus, ad omne servitium paratissimus, ab orando nunquam desistens. Toties eum videres una manu thuribulum, altera Rosarium tenentem ac caeli Reginam pie salutantem. Ut manum habebat expertam, ipse momentis liberis flores factitios arte haud communi conficiebat, et qui postea altarium ornatum admirabantur, passim ignorabant pium sacristam non modo hos flores ibi ingeniose collocasse, sed etiam artificiose composuisse; ipse enim nunquam de se suisque operibus loquebatur et in genere potius taciturnus erat quam loquax; quae vero suo tempore ex eius ore verba exhibant, ea claram mentem sanumque iudicium prodebant.

Fratri Chrysantho, ob aetatem provectam ad ascendendas scalas aliosque difficiliore sacristae labores non iam idoneo, novus actionis campus quaerendus erat. Eum reperire erat negotium haud difficile, quoniam peritus Frater etiam electricista et librorum glutinator et typographus, brevi « factotum » erat. Profecto familia religiosa, quae talem Fratrem servientem sibi aggregavit, thesaurum invenit! Videres igitur carum senem a mane ad vesperum in parva nostra officina typographica indefesse laborantem atque crurum varicosorum vulnera plane negligentem. Etiam si in tam provecta aetate, omni magistro carens, ad huius novae artis apicem non pervenit, tamen domui et Provinciae pretiosa servitia etiam qua typographus praestitit.

Fr. Chrysanthus numquam aegrotus decumbebat. Morbo « grippe » quandoque in domo grassante ipse quoque tussiebat et eius oculi parvi etiam magis reduci videbantur, at operam suam continuabat. Immo hieme ineuntis anni 1931, febrī catarrhali amplius 41 graduum calens, more solito Viam Bethlehemiticam praelegit, et medico mirante post biduum denovo ad machinam typographicam stetit.

Sed ipse senex fere octogenarius paulatim sensit se satis in hoc mundo laborasse, et aeternam requiem ardentem desiderare coepit. Itaque cum initio mensis Iulii bibliothecae arcas colore illevisset, Deum rogavit, ut hunc laborem suum ultimum esse permetteret animamque suam suscipere dignaretur. Revera novum laborem inceptum meridie 7 Iulii, cum minus belle se haberet, imperfectum reliquit. Medicus quidem, statim arcessitus, non repperit nisi bronchitidem; verum Chrysanthus noster iam incapax evaserat ad medicinas deglutiendas; nocte insequenti in agoniam intravit, et mane diei 8 Iulii h. 6 animam meritis onustam efflavit. Donet Dominus huic servo fideli requiem sempiternam, Instituto vero nostro quamplurimos Fratres servientes, qui optimi Fr. Chrysanthi in humilitate, modestia, obedientia, amore laboris, spiritu orationis (quas virtutes Const. 1545 iis inculcat) sint simillimi!